

46. 10

Q. R. B. V.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Decima

1694 84

DE

SERVITUTIBUS

FEUDO IMPOSITIS, ET

PRÆSCRIPTIONE FEUDALI,

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

D. May. MDC. XCIV.

In Auditorio Jctorum

publice defendet

CHRISTIANUS ABEL Schreckl

Offit. Misn.

WITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.





7. N. D. N. 7.

Th. I.

Servitutum Feudo Vasallus acquirere potest in scio Domino, & Agnatis aut simultanee investitis. *II.F. 28. §. si Vasallus. II.F. 8. §. Econtrario.* Quod si verò pretium pro servitute dedit, à successore Feudali id restitui debet. *dicto §. si Vasallus, ubi Bitschius.* Nec obest, quod secundum Rom. Juris placita usufructuarius fundo, in quo habet usumfructum, non possit servitutum acquirere, *L. 15. §. f. de Usufr. ubi Faber. in Ration.* nam alia est ratio Usufructuarii, alia Vasalli. Ille dominium fundi non habet, sic nihil penes istum est, cui quid acquirat: tertio vero, domino sc. nullo præcedente mandato, aut non sequente rati habitione nec Jus in re acquiri potest. *Dd. ad §. pen. Inst. per quas personas nob. acqu.* Vasallus autem utile Dominium habet fundi. Ut taceamus moribus hodiernis, qui simplicitatem magis, quam apices juris sectantur, juxta plerorumque sententiam tertio ex nostro facto Jus in re vel ad rem acquiri posse.

II. Cum servitutis constitutio species alienationis sit. *L. fin. C. de reb. alien. non alienaud.* Vasallus autem nihil ex Feudo alienare & Domini vel Agnatorum, si scilicet Feudum antiquum, aut etiam in Saxonia simultanee investitorum, si nempe adsint, conditionem deteriore facere non possit: palam est non posse Vasallum servitutum sine illorum consensu imponere Feudo, licet, quominus cum consensu istorum id fiat, nulla ratio vetet. Porro nec Dominus potest imponere servitutum Feudo, nisi Vasallus consentiat. *L. 74. d. R. I. I.F. 8. II.F. 3.* Objici solet *L. 15. §. f. ff. de usufr.* in qua habetur proprietarium nec usufructuario consentiente posse imponere servitutum. Si hoc: E. nec Dominus forte poterit Vasallo licet consentiente. Paradoxa & miseram subtilitatem redolens videtur illa Ulpiani decisio:

A 2

in

in cuius ratione indaganda vehementer Interpretes se torquent. Ple-
rique & quidem maximæ autoritatis viri in *L. 165. D. de R. I.* illam in-
veniri putant. Qui locus cum hoc axioma: *Quicumque non potest
alienare, ille nec alienanti potest consentire,* suppediter, subsumunt:
Atqui usufructuarius non potest alienare. *L. 6. Comm. prædior. E.*
non potest alienanti consentire. *Donell. X. XI. a. Vasq. L. 1. de succ.*
§. 7. num. 4. Sed rectè sophisticam dicit hanc illationem *Jacob.*
Godofr. Anim. I. Civil. c. 5. cum regula *L. 165. D. de R. I.* ab hoc tractatu
alienissima sit. Namque eo pertinet, ut illi, qui ob aliquam juris
rationem non possunt alienare rem, in suo dominio constitutam,
neque alii eandem alienanti consentire possint. Quales sunt pu-
pilli. Exemplum ex *L. 8. 10. D. de aqua & aqua plu. arcenda* peti
potest. Atque adeo huc trahi nequit. Cæterum cur is, qui non
est dominus, jus tamen quoddam in re habeat, jure suo cedere &
domino alienanti consentire, ac sic *L. pen. C. de Pactis* locus esse ne-
nequeat, nulla ratio excogitari potest. Sane contrarium exemplum
ex *L. 12. §. 6. ff. quibus mod. pignus vel hypoth. solu.* peti potest. Idem
est in socio, qui partem socii alienare non potest; potest tamen con-
sentire. Totum usumfructum derelinquere potest usufructuarius,
cur non & partem? *l. 64. de usufruct. L. 7. §. adeo ff. de pactis. Wissenb.*
1. XI. 7. 8. Neque tamen melior est *Jacobi Godofredi* ratio, quæ &
Bacchov. ad Treutl. placet, qui ideo consentum usufructuarii nihil
operari putat: quia servitus uti reale, ita & perpetuum sua natura
fundi onus est, quod sc. fundum in perpetuum afficit, ut proinde
ejus consensus nihil operetur, qui jus perpetuum in fundo non
habet. Sed cur non operetur: si Domino perpetuum jus habenti
ad sit, atque impedimentum, quod Domini voluntati ex jure usu-
fructuarii obest, hujus tollatur consensu? Porro nec illa satisfaci-
unt nobis, quæ ab *A. Fabr. ad l. 15.* atque *B. O. Struv. Ex XII. d. 21.*
Pinello in l. 1. C. de bon. mat. p. 2. n. 74. *Castillo de Usufr. c. 35. n. 10.*
Bulio ad d. L. 15. §. fin. Vitali II. Var. Lect. 8. n. 2. adferuntur. Causas
in conflictu, occasio si nobis detur, exponemus. Quia ergo Ulpi-
piniani illa decisio sensui communi, & analogiæ juris contrariatur
plane, audacter dicimus, parum abesse illam à cavillatione, quæ sæ-
pius familiaris fuit veteribus, Jure-Consultis; Ulpiano præsertim:
id

id quod *L. 4. §. 3. ff. de Cond. ob turp. caus.* ni fallimur, abunde demonstrat. quod *Cujacius ad L. 177. de V. S.* non dissimulare potest. Plane *Godofredus d. l. Mornacius, & Brunnemannus ad d. L. Wissenb. d. l. D. Strykius q. 4. h. r.* fatentur, missis illis subtilitatibus & apicibus Juris, à quibus nostrum seculum abhorret, aliter hodie, ubi omnia pacta honesta vi & efficacia sua pollent, judicandum esse, Quo posito, argumentum ex ista lege desumptum assertum nostrum infringere non potest, cum & alias ab usufructu non sit perpetuum ad Feudum argumentum, & fortius jus quam usufructuarius, Vassallus, ac perpetuum regulariter quidem habeat in Feudo.

III. Quod si verò servitus realis à solo Vasallo constituta sit, constitutio ista non planè inutilis est; sed quoad dies vitæ Vasalli descendendumque ejus ac heredum effectu suo gaudet. *argum. 2. Feud. 45. 2. F. 8. §. 1. vers. quid ergo.* Quo quidem casu non veram servitutum, sed jus quoddam servituti simile saltem constitutum volunt plerique *ob L. 4. D. de servitut. Birsch. 2. F. 8. p. 257.* Verum enim vero existimamus haud invito Iustiniano jure & veram servitutum subesse, defendere quem posse. Aut enim disertè id actum, jus hoc tamdiu tantum valere debere, usque dum Vasallus ejusque descendentes supersint; aut nihil ea de re est dictum. Hocce casu non potest dici, ad tempus esse constitutam servitutum, quoniam de tempore nihil dictum: & licet tacitè id actum videatur, locus tamen esset regulæ: expressa nocent, non expressa non nocent. *L. 195. de R. I.* Neque etiam existente casu devolutionis ad Dominum vel Agnatum servitus vi hujus pacti taciti, vel lapsu temporis finitur: sed ideo evanescit, quia resolutio jure dantis resolvitur jus accipientis. *L. 31. ff. de pign. & hypoth.* Priori casu servitus nihilominus pro pure constituta habenda est. *L. 4. pr. de servit. ac successor Feudi servitutum contra placita vendicantem removeere quoque poterit exceptione doli vel pacti. d. L. 4. L. 12. ff. de pign. & hypoth. Franzk. Tit. Communia pradior. num. 28. Coras ad L. 4. §. de servit. Prad. urban.* (ubi quidem perpetua causa non ratione temporis accipienda est, sed id cujus aut arcendi aut habendi causa servitus constituitur, significat) allatum nihil facit ad rem præsentem. Nec
magis

magis stringit, quod ex *L. 4. § 5. D. de servit. Prad. rustic.* deducere vult. Prædiorum scilicet magis esse quam personarum servitutes: hocce vero casu magis personam, quam prædium servire videri. Sed nos in concessis id non habemus, personam hic magis, quam rem servire. Sane res servit casu nostro, licet persona constituyente servitutem cum descendantibus heredibus extincta res ab isto onere liberetur.

IV. Si quis servitute usus sit longo tempore in fundo feudali contra Vasallum ejusque descendentes, aut alios successores simul heredes jus servitutis præscriptione acquisivit: domino tamen & Agnatis aut simultaneè investitis non heredibus hoc non nocet, si maxime possessio cum titulo expresso intuitu vasalli possessoris sit conjuncta: cum illis nullum interim jus agendi sit, & non curre sic contra illos possit præscriptio. *II. F. 8. L. 1. C. de Ann. except. C. Rosenth. c. 9. M. Concl. n. n. 4.* Quid sit autem hoc loco longum tempus Th. dicemus. *C. Franzk. Ex. 5. q. 4.*

V. Quæ de servitute reali antea dicta, etiam de personali, ut usufructu, habent locum, ita nempe, ut usufructus sine Domini & Agnatorum vel simultaneè investitorum consensu constitutus ratione constituentis non diutius duret, quam quousque ipse & ejus descendentes, aut alii successores feudales, qui simul heredes, super sint: quod eò facilius admitti poterit, quia usumfructum extempore, & ad tempus constitui, & Jus Rom. permittit. *L. Et puto §. 1. ff. Fam. ercic. L. 4. ff. de usufr. L. cum usufructus ff. de usufr. leg. Coras. ad L. 4. de servit. n. 18.* Neque etiam hic Vasallus dominium suum utile alienat, sed tantummodo exercitium ejus, seu jus utendi fruendi in alium transfert. Quod si vero alia bona Vasallus non habet, unde servitia commodè præstari possint: tantum ex fructibus illi relinquendum est, quantum ad servitia præstanda opus, ne jus Domini deterius fiat, *Dn. Struv. S. I. F. 12. 7. Kobl. de Servit. Feud. p. 1. c. 28. Carpz. P. 2. C. 25. d. 6.* Quamvis non iniquum esse putemus, si dicamus etiam eo casu, ubi alia bona habet Vasallus, tantum ab usufructuario fructuum relinquendum esse, quantum ad servitia præstanda requiritur: cum servitia Feudi intuitu præstentur, & usufructuarius aliàs opera rei ferre debeat, *L. 7. §. 2. L. 27. §. 3. D. de usufr.*

usufr. L. 7. ff. de publ. & veftigal. L. 2. C. de Ann. & Tribut. Carpz. p. 3. C. 16. def. f. Cæterum non obstat huic nostræ sententiæ, quod servitutis constitutio, uti *Tb. 2. jam dictum* sit species alienationis. *L. f. C. de Reb. alien. non alienand.* nulla vero alienatio à solo Vasallo fieri possit *2. F. 24. inf.* Nam ea solum alienatio Vasallo illicita, quæ successoribus Feudalibus præjudicio est *II. F. 52.* quod de hac nostra uti & de subinfeudatione dici nequit.

VI. In Feudo à filiofamilias acquisito patri non competere usumfructum plerique Doctorum tradunt. Rationes hujus asserti varias post alios adducit *Vultej. 1. F. 4. n. 8.* quas verò plerasque recte rejicit *Bachov. ad Treutl. V. I. d. 27. Tb. 2.* Illa tamen momenti alicujus esse videtur, quod Feudum ob servitia detur regulariter, atque adeo ad peculium castrense vel quasicastrense referendum sit; in quorum neutro patri usumfructum competere notum est, *§. 1. I. per quas person. nob. acquir. §. f. I. de milit. Testam.* Etsi autem fortasse servitia à Domino interdum remittuntur in gratiam filii: tamen id patri prodesse haud poterit, nisi speciatim id sit actum. *D. Struv. S. I. F. V. 15. 4. D. Stryk. D. II. c. 2. §. 8.*

VII. Re in Feudum datâ & ejus parte à Domino alteri in usumfructum antea concessa, usufructu finito re ista tota Vasallus liberissime utitur fructus, cum totius rei, cum qua usufructus consolidatus est, dominium utile habeat; arg. *L. 18. §. 1. de pign. act. Schrad. p. 2. q. 9. sect. 2. n. 5. Rosenth. c. 10. concl. 44. n. 3.*

VIII. Circa modos acquirendi & constituendi Feudum mirè variant *Dd.* ita ut vix duos invenias, qui omni ex parte hac in re consentiant. Causa hujus rei hæc esse videtur, quod vocabula constitutionis & acquisitionis promiscue usurpentur. *1. F. 25. 2. F. 1. F. 2. 33.* quodve Jure Civili 7^o constituere modò accipiatur pro promissione alicujus juris realis, uti *in §. fin. I. de servit. §. 1. I. de usufr.* modò pro ipsa actuali introductione, vel acquisitione illius juris realis *L. 11. §. 1. de Publ. in rem act. L. 10. D. si servit. vind. & L. 26. D. de pign. act.* Planissima & juri feudali maxime conveniens videtur sententia Celeberrimi Viri *D. Struvii S. I. F. VII.* qui eo casu, quando jus Feudi de novo introducendum, seu qualitas feudalis rei allodiali noviter imponenda, non aliter differre putat, constitutionem ab acquisitione

sitione, quàm quod illa se referat ad Dominum constituentem, hæc ad Vasallum acquirentem: cæterum utramq; uno actu perfici, licet constitutio naturâ prior videatur. Feudum enim in relatione consistit inter Dominum & Vasallum, dominum & rem, rem & Vasallum. Ex quo ergo relata simul sunt, non potest aliter fieri, quàm ut eo ipso momento, quo Feudum per constitutionem esse incipit, etiam simul acquiratur à Vasallo, & viceversa. Constituitur ergo & acquiritur Feudum novum sola investitura. *I. F. 25. 2. F. I. §* præscriptione, quæ loco est investituræ *II. F. 33.* Constitutionem vero istam, & acquisitionem præcedunt ejus quasi præparatoria, quæ in promissionibus vel inter vivos vel mortis causa consistunt, de quibus agit *Struv. c. 7. th. 30.* quæque ab aliis ad modos constituendi referuntur. Circa quod illud saltem notamus adhuc, posse & tacita conventionem Feudi constitutionem promitti; e. g. si Dominus consentiat in alienationem Feudi. Quod si enim alienans renunciat Feudi dominio utili, (*lässet die Lehn auff*) eo momento illud cum dominio directo consolidatur, & sic res fit allodialis: potest tamen Dominus ex illa tacita conventionem actione personali ad hæredes transeunte quoq; conveniri, ut iterum investiat emptorem, & sic Feudum noviter constituat. *Struv. VII. 3. 2. ib. D. Lynck. Eyb. E. Feud. § c. 4. §. 6.* Ad quam sententiam in Collegio Juridico Wittebergensi M. Febr. 1691. responsum esse, meminimus. Cæterum si quæstio est de Feudi jam constituti transmissione per successionem: acquisitionem à constitutione differre palam est, nec ullo modo successio ad modos constituendi referri potest. *Struv. d. l. Eyben. c. 4. §. 6.*

IX. Feudum præscriptione constitui, & acquiri, vel ex re allodiali feudalis fieri potest, tum si Vasallus dominium utile in re alicujus *II. F. 33.* tum si Dominus dominium directum in re alterius usucipiat. *Rosentb. c. 6. c. 81. Schulz. c. 9. n. 25.* Potest tamen utrumque Dominium & præscriptione amitti, ita, ut ex re Feudali allodialis iterum fiat. *a. L. 2. D. de R. l. Conf. Th.*

X. Quod si itaque quis rem quandam alienam per triginta annos ut feudalem animo & opinione Vasalli possederit, & servitia præstiterit, vel semel exhibuerit tantum *arg. §. si quis. II. Feud. 26. Finckel. d. 8. cap. 16. (Dissentienti; Ritterb. l. 18. q. 4. ab II. F. 13.*

F. 13. ibi recipiente respondebim9 licet non actu præstiterit illi, cujus res antea erat pleno jure, tanquam Domino; vel aliud quid egerit, ex quo Dominus intelligere potuit, possessorem pro Vasallo se gerere, illeq; non contradixerit, eo ipso Feudum constituitur, & possessor dominium utile sibi acquirit: ita ut non tantum exceptio, sed etiam actio utilis illi detur adversus Dominum & tertium. II. F. 16. §. si quis, ubi Bitsch. p. 393.

XI. Non itaque quævis possessio hic prodest, sed qualificata & formis, ut Dd. nostri loquuntur, ad hoc negotium, qua quis scil. animo & opinione Vasalli, intentione dominium utile habendi rem detinet. Atque hinc qui rem ut propriam absolutè, animo dominium plenum habendi possidet, vel ut pignus apud se habet Feudum præscriptione non acquirit. Sed & justa possessio esse debet, & bona fide conjuncta, sive jus civile respiciamus, (nam & illo, ubi non de nuda exceptione, sed dominio acquirendo agitur b. f. requiritur in tricennali. l. 8. §. 1. C. de præscript. 30. ann. D. Rhet. I. F. 2. p. 116.) sive Canonicum C. f. X. de Præscr. sive ipsum jus Feudale II. F. 87. & quidem, cum jus Canonicum in foro quoad materiam præscriptionis receptum hic ante oculos haberi debeat, tam ab initio, quam in progressu c. 5. 7. ult. de præscr. Struv. VIII. 12. 3. Resentb. c. 6. concl. 77. Atque ita hodie nec exceptio illi, qui bonâ fide perpetua caret acquiri potest, quod contra Baldum, Alvarottum & Iserniam rectè docet Ludwell. c. 8. p. 173. Equidem dubium videri posset, quo modo hic unquam bona fides adesse queat, cum absurdum sit, illum bonâ fide rem ut Feudum possidere, qui nullam novit investituram: si Investitura vero adest, non opus sit præscriptione. Sed tamen casus dantur, ubi nihil vetat, quo minus id contingat. Finge possessorem à falso procuratore esse investitum, quem tamen putavit esse verum, justo & probabili errore inductus. Pone possessorem ex probabilibus rationibus credere majores fuisse de Feudo investitos. Fac esse de fundo cum pertinentiis investitum: justa vero ex ratione illum credere hunc fundum esse è pertinentiis, qui tamen non est. His omnibus casibus, uti & aliis bona fide possessio inchoari & impleri potest. Interim illud notandum, in hac tricennali præscriptione b. f. allegatam tamen Coler. ad c. ult. X. de præscr. n. 33. Schneid. ad princ. I. de usuc. n. 26. præsumi, ita ut alteri malam fidem objicenti hanc probare incumbat. 4. II. F. 33. inf. Ex II. P. 3. d. 7. L. 1. R. 84. Rhet. I. F. 28. p. 481. Continuatam debere esse possessionem vocabulum per §. 2. II. F. 2. 6. indicat: & si maxime abesset, tamen ex juris communis principiis assertum

B

pro-

probaretur, *pr. l. de Usuc. II. F. 1.* Prodest tamen hic successori defuncti possessio, modo uterque in b. f. sit, & successor investituram renovaverit: quod dum omittit, pro Vasallo se gerere non videtur. *II. F. 4. II. 24. pr. Ant. disp. V. rb. 3. tit. f.* Si vero omiserit petere investituram, Dominusque illam non urgeat, à sua persona præscriptionem inchoare potest: nec omisio investituræ in malâ fide constituit, quia nihilominus credere potest Vasallus, rem Majoribus esse per investituram datam, Dominumque tacendo remittere feloniam ab ipso commissam.

XII. Jure Feudali omne tempus Præscriptionis est 30. annorum *§. 2. II. F. 26.* neque etiam Longobardis alia quam 30. annorum notavit. *vid. T. I. Legum Grinwaldi de XXX. ann. Usuc. & Rachis T. 9. de Præscript. idque longum dicitur II. F. 87.* Incipit calu antea *Tb. X.* dicto ab eo momento, quo ille, qui præscribit, quid gesit, ex quo intelligere potuit alter, illum rem ut feudalem, vel ut Vasallum possidere. *Bitsch. II. F. 26. §. 2. p. 400. Diff. Dd. varie, ut videre est ap. Bitschium §. 4. II. F. 26.* Jure Saxonico quoque tantum 30. annos hic requiri vult *Schrad. de Feud. V. 4. 18. atque A. 29. L. 1. Land-N.* saltem ad allodialia, non verò Feudalia pertinere tradit. Sed accedimus *Carpzovio* qui annum & diem addi debere docet, *p. 2. c. 4. d. 16. L. 1. R. 84. n. 23. Conf. Constit. 50. p. 2.* Cæterum si res Ecclesiæ sit, in qua quis dominium utile acquirit præscriptione, 40. annorum ob *N. III. & 131* juxta communem sententiam requiri putamus. *Vulzejo* dissentienti. *I. f. 9. n. 8. respondet D. Lyncker in Arenal. ad Struv. VIII. 12. 3. Conf. Rosentb. c. 6. c. 78 n. 17.*

XIII. Sicuti in Præscriptione tricennali & ea quidem, quæ dominium adjicit, nullus titulus Jure civili requiritur. *L. 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* licet præsumptum adesse velint. *Mev. p. 6. D. 122. Carpz. p. 2. C. 3. d. 3.* ita in jure feudali id se habet, ubi ipsa patientia domini tituli vicem gerit. *II. F. 33. pr.* Atque sic nec celebratione contractus Feudalis, nec investituram, nec præparatorium aliquod negotium probare debet possessor, qui usucepit. *N. o. II. F. 28. vid. Bitsch. d. l. p. 402.* Interim tamen rem sine vitio furti vel violentiæ nactus esse debuit Vasallus: cum, si hoc factum, in bona fide non esse possit. Quod si a vitium tale factum tertii sine facto bona fide possidentis rei illatum sit, illud tricennariæ huic præscriptioni non obesse arbitramur. *Struv. S. I. C. 43. 19.*

XIV. Feudum præscriptione constitutum proprium est. Nam
modus

modus constituendi & acquirendi est extra ipsam rem, nec ad Naturalia Feudi pertinet: sicque constitutio præsumpta non magis reddit Feudum improprium, ac usucapio dominium improprium reddit rei usucapta. Dissidententi *Bocero & Wurmsfero* satisfacit *D. Struv. VIII. 12.*

XV. Si quis de re aliena tertium investit, & ipse, & investitus rem istam contra dominum verum usucapere possunt, ita ut concedens, qui rem per investitum possidet dominium directum, & investitus dominium utile nanciscatur: quò casu tantum tempus longum ordinarium Juris civilis 20. l. 10. annorum sufficere putamus cum *Dn. Strykio q. 26.* cum respectu tertii illius allodialis res sit, nec feudum respectu illius tertii constituatur, nec feudo jam antea constituto quid decedat, nec concedens rem tanquam feudalem sed allodiam plenè Jure acquirat, licet particulam domini alii concesserit. Neque obstat huic sententiæ, quod in omni præscriptione feudali 30. annorum tempus requiri supra fuerit dictum, quodve in textu *II. F. 87.* tempus longum pro longissimo accipiatur. Nam primò casu à nobis proposito nulla adest, prout dictum, præscriptio feudalis: deinde quod ad textum *I. F. II. 78.* attinet, notum est, Longobardos & in allodialibus nullam aliam agnovisse, quam tricenariam præscriptionem. Cum verò Jus Longobardicum allodiale usu non sit receptum: textus ille assertum nostrum non evertit.

XVI. Vasallus dominium directum præscriptione acquirere potest, ita ut ex feudo fiat allodium, si intra 30 annos Dominus servitia, quibus opus habebat (aliud est, si non indigit iis *Rhet. I. F. 21. p. 449.*) non exegerit, vel Vasallus exacta non præstiterit, & Vasallo rem interim non ut feudalem, sed ut allodiam possederit. Quod ultimum apprime necessarium est: sola enim ommissio exactationis & præstationis servitiorum non sufficit. Neque etiam remissa servitia semel in futurum remissa censentur, nec statim præsumendum Vasallum non venientem depoluisse animum Vasalliticum, & denegare omnem fidelitatem. Necessè itaque est, ut Vasallus verbis vel factis (nam sola animi destinatione causam possessionis sibi mutare non potest *L. 5. C. de Acquir. l. amitt. Poss. L. 2. C. de Præscr. 30. l. 40. Annor*) declaret, se non velle esse Vasallum, nec rem possidere ut Vasallum, sicque intervertat possessionem Domini quoad directum Dominium, Dominusque non contradicat. *Arg. 2. F. 26. 33. 87. L. 35 ff. de R. I. Carpz. lib. 1. Resp. 80. Rosenthal. C. 6. Concl. 8. n. 125.* Atque adeo Vasallus quamdiu ut Vasallus possidet, cum possessio ejus ad præscribendum dominium directum non sit, formis, & qualifica-

lificata dominium illud directum præscribere non potest: quamvis per 100. annos servitorum exactio, aut præstatio fuerit omissa. *Rosenthal. d. loco Concl. 82. Finckelth. Disp. 8. C. 10.* Licet si per 30. annos possessionem Domini ratione exactio servitorum interverterit, Dominusque non contradixerit libertatem à servitiis præstandis acquirat præscriptione & Feudum fiat Francum *vid. Dissert. nostra de Feudo Franco Tb. 24. Rittershus. lib. 1. Part. Feud. C. 18. Q. 12.* Cæterum interversio illa possessionis Domini b. f. fieri debet e. g. si Vasallus documenta inveniat ex quibus colligi posset rem esse allodiam, si falsus procurator, quem tamen justas ob rationes verum putavit, remisit fidem, si heres existimans rem fuisse defuncti pleno jure propriam eam ut talem apprehendat &c.

XVII. Quemadmodum in re aliena utile dominium præscriptione acquirere possumus: ita etiam pari ratione dominium directum in alterius re usucapere possumus, si nempe Dominus allodialis de re sua libera intuitu ejus rei servitia præstitit alicui, hicque recepit *Rosenthal. Cap. 6. Concl. 81. Borgholt. C. 7. n. 9. Duarenus C. 8. n. 2.* quo calu ea quæ Theſibus antecedentibus dicta, huc applicanda quoque erunt.

XVIII. Similiter Dominus directus si ipsam rem jure pleni domini, tacente & non contradicente Vasallo per 30. annos continuos bona fide possederit (nam possessio domini directi non sufficit, & informis ad hanc præscriptionem est.) dominium utile contra Vasallum usucepit *Minsinger. 4. 28. Finckelth. 8. 9.* Diximus contra Vasallum: nam agnatis aut simultanee investitis hæc præscriptio non obest *arg. L. 1. C. de Annali Except. Finckelth. 8. 9.* nisi postquam successio ad eos devoluta, & ipsi per 30. annos tacuerint. *Finckelth. d. l.* Cæterum quomodo & Dominus & Vasallus possidere dicantur, optimè exponit *Dn. Strub. S. I. F. C. XI. §. 1.*


XIX. Si Vasallus Feudum sine consensu Domini alienat in tertium, ipso jure dominium utile ad Dominum redit, & cum dominio directo consolidatur. *2. Feud. 44. 55. Strub. 15. 11. 6.* Quod si tamen Dominus passus sit possessorem istam rem tanquam Feudalem b. f. possidere per 30. annos, eo ipso Feudum novum est constitutum atq; postea Dominus dominium utile repetere haud potest. *2. Feud. 9. §. porro 2. Feud. 76. §. si quis Schrader. D. 5. C. 4. n. 10. Rosenthal. C. 9. membro. 2. Concl. 97.* Quo casu directum dominium utique salvum manet Domino, quippe quod Vasallus, quamdiu possidet ut Vasallus præscriptione auferre Domino non potest, vid supra dicta, Th. 10. seq. Cæterum si Vasallus Feudum ceu rem allodiam sine Domini consensu alienaverit, novusq; possessor tanquam allodiam sive b. f. m. fide possideat, nullam putamus, obstare domino præscriptionem, atque ita accipiendas esse Constitutiones *II. F. 40. & II. F. 55. Rittershus. lib. 1. Part. c. 18. Q. 13. seq. Rosenthal. d. loco. n. 39.* qui tamen excipit temporis immemoralis præscriptionem. Dissentiunt DD variè, uti videri est apud *Ludwell. c. 8. in fine Strub. 13. 10. 4. Rittershus. d. loco ubi Q. 17.* ratione fructuum & evictionis præstationis differentiam quandam inter b. & m. f. possessorem recte admittit.

ULB Halle 3
005 361 702



VD 17







46. 10
1694 84

Q. R. B. V.
POSITIONUM JURIS FEUDALIS
Exercitatio Decima

DE
**SERVITUTIBUS
FEUDO IMPOSITIS, ET
PRÆSCRIPTIONE FEUDALI,**

Quam
PRÆSIDE
CASPARE HEINRICO HORNIO,
J.U.D. Pandectarum P.P. atq; Collegiorum
Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

D. May. MDC. XCIV.

In Auditorio Jctorum
publice defendet
CHRISTIANUS ABEL Schreckl
Offit. Misn.

•••••
VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.

